IOHANNES DE TURRECREMATA

Süddeutscher Raum, 1477 Seite 3r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



cio se doctrine exempla reliquit

Sed in lege domini fuit voluntas eius ut diuine legis mandata perficiat et in lege eius adimplenda meditatur assidue in prosperis et aduersis non tamen legis lectione sed iugi obseruancia sanctitatis

Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus fluenta aquarum virore diuine gratie semper virens qui bonorum operum plenitudine fecundus fructum dabit tempore vite sue dignum felicitatis vite eterne

Et verba eius non defluent a ueritate in mendacium nec incassum sine vtilitate sed ad aliorum erudicionem et salutem proficient et omnia quecumque faciet semper prosperabuntur sibi ad consecucionem vite eterne

Non sic impii non sic sed tamquam pulius infecundus et siccus ab humore diuine gratie quem cura dyaboli proicit a facie stabilitatis eterne

Ideo quia sunt pulius non resurgunt impii nec infideles in iudicio discussionis ut examinentur quia non credentes penis acerbissimis iam adiudicati sunt neque peccatores professione xpristiani sed moribus peccatis obnoxii resurgent in congregacione iustorum quia non admittentur ad vitam eternam ad quam alii multi congregabuntur

Quoniam nouit dominus noticia approbacionis viam iustorum utpote munda splendida et delectabilis quia expedita via ad beatitudinem Iter autem impiorum non approbat sed reprobat utpote quia immundum tenebrosum et triste deducens in perdicionem Ps secundus

In quo de machinacione et rebellione inuidencium contra regnum xpi et de ipsius xpi excellencia et dignitate

Propheta admirans maliciam persecutorum xpristi quam preuidebat spiritu ait